


BIBLIOTHECA
HISPANA NOVA

SIVE
HISPANORUM SCRIPTORUM
QUI AB ANNO MD. AD MDCLXXXIV. FLORUERE
NOTITIA.

AUCTORE
D. NICOLAO ANTONIO HISPALENSI I. C.
Ordinis S. Iacobi equite, patriæ Ecclesiæ canonico, Regionum negotiorum
in Urbe & Romana curia procuratore generali, consiliario Regio.

NUNC PRIMUM PRODIT
RECOGNITA EMENDATA AUCTA
AB IPSO AUCTORE.



TOMUS PRIMUS.

MATRITI
APUD JOACHIMUM DE IBARRA TYPOGRAPHUM REGIUM
MDCCLXXXIII.

DE HAC SECUNDA EDITIONE

MONITUM AD LECTOREM.

Quemadmodum egregius ille vir D. Nicolaus Antonius Bibliotheca sua Veteri scriptores Hispaniæ recensuit, qui ab Octaviani Augusti tempore ad sæculi XV. finem florere; ita hac Nova illos recensitos voluit, qui ab ineunte sæculo XVI. ad sui usque obitum, nempe ad an. 1684. aliquid literis consignarunt. Quamquam vero temporum rationi valde consentaneum & videbatur & erat ut Vetus prius juris publici fieret quam Nova; ordine tamen præpostero id effectum est ob eas quæ sub finem Præfationis hujus Bibliothecæ causas animadvertuntur.

Cum Romæ degeret auctor quo se anno 1659. jussu Philippi IV. Regis receperat ut Hispaniæ negotia procuraret, ibi Bibliothecam Novam edidit typis Nicolai Tinassii anno 1672. duobus voluminibus in folio. Eam magno cum plausu exceperunt viri quique eruditi, æquique rerum aestimatores. Et sane auctor Ephemeridum literatorum quæ anno eodem, ejusdemque Tinassii formis Italice prodibant (29. Nov. pag. 169.) cum de opere hoc novo sermonem prolixiorem instituisset, non modo auctorem summis extulit laudibus, sed Novam etiam Bibliothecam magnopere commendavit. Longe aliter Ephemeridum Gallicarum (*Journal des Sçavans*) auctores, qui mense Jul. an. 1676. tam perfunctorie hanc Bibliothecam pervulgavere, ut recensione ab eis factam, parcam ac illiberalem appellare sit ausus Petrus Baile, cum Veterem laudibus cumularet.

Sed cum bene multa literatorum Hispanorum monumenta auctor acquireret, quibus suam Bibliothecam, dum adhuc esset sub prælo corrigeret & locupletaret; ne ea diutius desiderarentur, in finem conjecit non Appendices tantum & Appendicum Appendiculas, sed Additiones etiam & Correctiones. Ea enim hujusmodi operum conditio est, ut multis quæ latebant, detectis, in dies augeantur & corrigantur. Quod maxime post redditum auctoris in Hispaniam, anno scilicet 1679. comprobatum est. Tantam enim rei literariæ copiam sibi comparavit, ut justum volumen expleverit tum additionum, tum etiam correctionum, quibus Novam Bibliothecam, quam cogitabat recudere, faceret utiliorem.

Fecisset profecto nisi diem suum obiisset magno literatorum damno, & jactura literarum. Die siquidem 13 Aprilis ineunte, anno 1684. fato functus est: nimirum die 12. ut supputari vulgo solet, prima post mediam noctem hora, quæ anno illo feriæ quintæ

caput initiumque fuit. Quod quidem fatum D. Didacum Josephum Dormerum, Archidiaconum Suprarbiensem, Aragoniæ Cosmographum, Cæsaraugustæ agentem, literis Matrili datis monitum voluit Petrus Valerus Diaz, vir sane eruditus, doctusque jurisconsultus, Aragonum Consiliarius, & Nicolao Antonio maxima necessitudine conjunctus, qui funeri interfuit. Placet harum literarum fragmentum ex autographo exscriptum latineque redditum heic subjicere. Amisimus (ait Valerus 1) D. D. Nicolaum Antonium octavo morbi die: nam feria 4. prima post mediam noctem hora, ineunte nono vitam cum morte commutavit, tantum amicis omnibus relinquens mœrorem quantum potes existimare. Eum sepelivimus apud Clericos Minores. (in æde Spiritui Sancto sacra) Heredes instituit duos (ex sorore) nepotes, quorum alter Ecclesiæ Salmantiniæ Canonicus est, alter Romæ dat operam literis. Deprecare ei sempiternam beatitatem. Jube & vale. Madriti 15. Apr. an. 1684. = Tibi deditissimus D. Petrus Valerus.

Prior horum nepotum quos heredes testamento reliquit, Canonicus Salmantinus, Adrianus Conique appellabatur. Hic Romæ itidem studia literarum exercuerat in Collegio Clementino Congregationis Somasci, ubi anno 1681. theses theologicas propugnavit, typisque edidit Cardinali Julio Rospigliosio Clementis IX. Pontificis nepoti nuncupatas.

Tametsi autem D. Nicolaus ære alieno obiit oppressus, ut ii solent qui plus literarum quam divitiarum amore capiuntur; divitem tamen delectamque reliquit bibliothecam triginta circiter mille librorum copia instructam, ut Cardinalis de Aguirre in Monitis ad Bibliothecam Veterem auctor est. (2) Quos inter extabant auctoris opera manu propria exarata; nunc vero asservantur in Regia Bibliotheca Matritensi, quam suppellectili vere pulcra Canonicus donavit.

Horum manuscriptorum caput est ingens illud volumen cujus mentio superius est facta, quo tum additiones, tum correctiones continentur, quibus Novam Bibliothecam corrigeret & amplificaret. Hinc tantum huic editioni accessit incrementi, ut si auctores denuo adjectos quis voluerit per numeros recensere, inveniet mille prope & octingentos; si vero correctiones & minusculas additiones, frustra conabitur dinumerare. Reliquit insuper alias bene multas, quas oris exempli, quo utebatur suæ Bibliothecæ apposuerat.

Hæc

(1) Perdimos al Señor D. Nicolas Antonio en ocho dias de enfermedad; pues Miercoles á la una de la noche entrado el noveno, rindió el alma á Dios, dexándonos á todos con el dolor que Vm. puede considerar. Enterrámosle en los Clérigos Menores. Dexó por herederos á sus sobrinos: uno que es Canónigo de Salamanca, y otro que estudia en Roma. Vm. le encomiende á Dios, y á mí me mande lo que fuere de su servicio. Nuestro Señor guarde á Vm. muchos años como deseo. Madrid 15. de Abril de 1684. B. L. M. de Vm. su mayor servidor D. Pedro Valero = Señor Arcediano Dormer.

(2) Hæc Monita Cardin. de Aguirre attribuit vir eruditissimus D. Greg. Majans in Vita D. Nic. Ant.

Hæc omnia ut suis quæque locis insererentur, prius exscripta, post cum autographis collata diligentissime fuere. Ratio item habita est, idque præcipue, Appendicum, Addendorum quoque & Corrigendorum ad calcem posterioris voluminis appositorum, ut omnes auctoris sive exaratae sive typis cusæ lucubrationes hanc Novam Bibliothecam locupletaturæ, ordine singulæ suo digestæ unam Bibliothecam, unumque corpus repræsentarent. Quæ omnia tanta cum religione gesta fuerunt, ut ne scriptores quidem quos auctor sui immemor iteraverat, fuerint recisi: nec anonymi aliquot quos suis alias nominibus notos fecerat, prætermitti: nec lacunæ quædam quas auctoris manus reliquerat, tametsi citra laborem potuissent impleri, sunt impletæ: nec errores aliqui correcti, qui facile fuissent emendati. Id enim in prole postuma necessarium apprime existimavit D. Emmanuel Marti cum Bibliothecæ Veteris curaret editionem, ne scilicet illatam ei a manu obstetricæ fraudem suspicarentur, aut dolo malo depexam fucatamque. Cum vero auctor obiisset quin summam imposuisset manum additionibus manuscriptis, non semel contigit nonnullos scriptores quos in Bibliotheca ediderat, iterum in adversariis sæpeque aliter exarasse. Quod, uti animadversum est, illi sunt in hanc editionem allecti, qui vocati in examen, visi sunt ampliores vel correctiores.

Sed quantumvis hujus Bibliothecæ recudendæ, nec nisi auctoris penu corrigendæ amplificandæque demandata cura susceptaque sit; fieri tamen non potuit quin duo dumtaxat vocabula consulto delerentur. Cum enim Bibliographus noster Isaaci Abarbinelis opera in censum referret, Prophetas quos Hebræi Priores appellant, Majores intellexit; quos autem Posteriores vocant, hos credidit esse Minores. Quod cum non ita sit, ut probe norunt qui Bibliorum Hebraicorum & Latinorum nomina æconomiamque percalluere; verba illa Majores & Minores in hac nova editione missa facta sunt.

Quod sicui forte per otium periclitari libuerit quantum ei accesserit incrementi, emendationis, utilitatis, nihil opus est nisi ut eam conferat cum priori. Perfacile quidem fuisset quidquid accessit, notulis & stellulis, quas asteriscos vocant, significare, nisi editionis nitore esset quoque merito consulendum. Sed præterquamquod integer hujus Bibliothecæ contextus ita auctoris nostri labor studiumque est, ut ne verbum quidem pene sit immutatum; quid opus erat asteriscis, qui forent innumeri chartas conspurcare? Nempe Bibliotheca Nova quæ nunc denuo aucta correctaque prodit, tota Nicolai Antonii opus purum putumque est.

Quam Spartam ut adornaret ditaretque, tametsi auctor improbum laborem, magnamque adhibuit diligentiam; multa tamen desiderantur in ea tum Scriptorum recensione, tum recensito-

torum opera, quæ hominem aliqui librorum helluonem, reique literariæ peritissimum præteriere. Quod qui mirabitur erit omnino nemo. Neque enim tunc temporis Jacobus Echard Bibliothecam PP. Prædicatorum, neque Cosmas de Villiers a Sancto Stephano Carmelitarum, neque Didacus Barbosa Lusitanam, neque Joannes a Sancto Antonio Franciscanam, neque Rodriguez & Ximenus Valentinas; neque alii alias Bibliothecas, librorumque catalogos ediderant, quibus suam, si contigisset lustrare, amplificasset. Accedit insuper quod neque aderat Bibliotheca publica, ut nunc adest, Regia Matritensis, tanta librorum copia locupletata. Quibus auxiliis illa qua laborat Bibliotheca Nova, penuria, a nonnullis Regiæ Bibliothecæ sociis magnam partem suppleta est. Quod quidem supplementum si tandem aliquando prodierit, fortasse non videbitur pœnitendum. Nunc vero ob quasdam quas libuit perpendere rationes, unius Nicolai opus sartum tectum repræsentatur.

Enim vero post multas perpessas superatasque molestias ut suam Bibliothecam Nicolaus noster perduceret ad umbilicum, ecce alia: nempe tot indicum implicatissimorum compositio, qui tanto sunt lectoribus adjumento, ut totius Bibliothecæ promptuaria censeantur. Quod & cognovit Adrianus Bailletius & merito laudavit. Nemo enim est quin noverit, ut lectoribus utilitatis & levaminis, ita quantæ sit scriptoribus sollicitudinis atque laboris indices operum conformare. Quo pertinet illud ab Nicolao nostro lepide usurpatum: Indicem libri ab auctore, librum ipsum a quovis alio conficiendum.

Sunt ergo Bibliothecæ Novæ indices præcipui omnino septem, qui integris centum & viginti hujus editionis chartis continentur. Quibus recognoscendis neque parum temporis neque molestiæ fuit devorandum, ut siqui essent auctores, quod suspicandum erat, in prioris editionis indicibus prætermitti, denuo annotarentur & referrentur in censum. Quam suspicionem exitus comprobavit. Nam supra trecentos & triginta detecti sunt, qui cum essent in Bibliotheca renuntiati, missi facti fuerant in indicibus. Insuper eorum omnium sive Scriptorum, sive operum quæ D. Nicolaus tum in adversariis, tum in marginibus exempli quod sibi erat usui, Bibliothecæ Novæ, exaraverat, indices contexti sunt non nominum modo & cognominum, sed patriarum etiam, dignitatum, ordinum atque materiarum. Quæ cum ita sint omnia, palam est hanc novam editionem multum esse priori anteferendam.

Quod autem in præsentia Bibliotheca Hispana Nova inscribatur, quæ ab auctore ipso Bibliotheca tantum Hispana fuerat appellata, hoc Cardinalis de Aguirre consilio & monitu factum est. Ut enim priorem totius operis partem Bibliothecam Hispanam

Veterem *Cardinalis appellavit, ita, eo monente, siquando pars altera foret recudenda, Bibliothecæ Hispanæ Novæ titulo posset & deberet insigniri. Accedit etiam quod tenuit consuetudo, quæ quotidie magis invalescit, ut hoc ea nomine vulgo dignoscatur.*

Et quoniam librorum nitor & pulcritudo non tam in typis & chartis, quam in accurata emendatione posita est; a mendis quibus scatebat Bibliotheca Nova edita coram oculatissimo auctore, ne recoquerentur expurgata prius est diligentissime. Nec tamen est quod sibi maximopere blandiantur qui hanc impressionem curarunt, quasi nullum mendum irrepserit. Irrepserunt sane nonnulla tam facili cuique inter legendum negotio corrigenda, ut ne indicare quidem ea opus esse pene videatur. Indicantur tamen aliqua, eaque præcipua, postrema posterioris voluminis charta aversa. Menda ne irreperent optandum potius quam sperandum in opere præsertim longo, pulcre ait vir Cl. Ill. D. D. Franciscus Perezus Bajerius Regiæ Bibliothecæ Matritensis Præfectus in præfatione ad præstantissimum De Numis Hebræo-Samaritanis librum. Quid ergo sperandum in opere duorum voluminum justo majorum, quibus mille & quingentæ pagine supputantur? Quid non timendum cum tot hinc inde petitæ notulæ atque literæ scriptione haud facili, & lectionem & emendationem redderent difficillimas?

*Orthographiam quod attinet, morem aliquantulum gerere auctori oportere visum est. Cum erat in vivis, nondum satis convenerat inter philologos & criticos quibusnam vocabula quædam literis conscribenda: nempe litera an littera: prælum an prelum: cæterum an ceterum: sumptus an sumtus: ejus an eius: & hujusmodi alia, de quibus satis inter grammaticos rixarum, atque bellicorum. Qua super re cachinnos ingeminavit facetus ille derisor & emunctæ naris criticus Trajanus Bocalini, qui in Relatione LIII. pag. 240. edit. Venet. an. 1624. Litem (inquit) inter grammaticos maximam ortam fuisse de vocabulo *consumptus*, inserendane illi p littera foret, an in ejus scriptione omittenda. Quam ubi rescivit Apollo litem, vehementer offensus est, cum intelligeret a Paulo Manutio rixæ auctore, lapide quodam ex inscriptionum Romanarum rudibus petito, in quo *consumptus* legeretur, Dionysii Lambini nasum insigni vulnere læsum fuisse. Quo joco satis apparet illos tantum esse irridendos, qui cum toti sint in tricis grammaticalibus, rebusque nihili, in summa rerum ignoratione versantur.*

Sed ut tandem huic præfatiunculæ finis imponatur, monendus lector est, ne aliis, siquæ sunt hujus editionis vitia, tribuantur; eam curasse D. Thomam Antonium Sanchez Regiæ Bibliothecæ custodem, & D. Joannem Antonium Pellizer subcus-

todem, quibus hæc cura a viro Cl. D. Joanne de Santander ejusdem Bibliothecæ Præfecto, de eaque optime merito olim fuerat demandata. Hi ambo jam pridem operam dederant augendæ & corrigendæ Bibliothecæ huic Novæ, ut nova cura & accessione locupletaretur eorum, quæ ab homine uno, quantumvis erudito, rei que literariæ deditissimo fuerant prætermissa. In quam rem studium quoque suum, operamque præcipuam contulit D. Raphael Casalbonus, itidem Regiæ Bibliothecæ custos, vir Theologus, Græce & Latine bene gnarus, qui diem suum obiit 15. Maji, an. 1787.